



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Vtrùm actus perfectior habeat semper perfectius obiectum, saltem
formale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

nes externæ sunt in substantia supernaturales.

130

CONCLUSIO II. Existentes in peccato mortali, tam fideles, quam infideles sæpè faciunt aliqua opera etiam interna remore conducentia ad salutem, secundum modum solum supernaturalia. Probat, quia secundum communem Theologorum sententiam sæpè faciunt aliqua opera moraliter bona, v. c. volendo dare eleemosynam, audire concionem, & similia, quæ sunt causa cur Deus ijs inspiret ulteriorem gratiam, qua convertuntur; atque ita illa opera ipsis ad salutem conducent. Item, Deus sæpissimè prius sua gratia etiam interna eos ad eiusmodi opera faciendâ excitat. Imò hoc semper fit, quoties ea opera ipsis directè, siue per se sunt causa cur Deus ijs ulteriorem gratiam det, quia tunc ijs directè & propriè ad salutem conducent. & ut patet ex Arausico can. 3. 4. 5. 6. omnia opera ita ad salutem conducentia necessariò fiunt ex gratia. Vnde sequi-

Araus.

tur, ea saltem secundum modum esse supernaturalia, tum ratione sui principij, tum ratione finis, in quem ab operante, aut ipso Deo diriguntur.

Quòd autem eiusmodi opera sint secundum suam substantiam naturalia, inde patet, quia cum nec meritoria sint vitæ æternæ, nec ab habitu supernaturali proficiuntur, nec ad statum supernaturalem hominem transferant, nec habeant obiectum quod virtute naturali nequeamus attingere, nulla est ratio cur dicamus ea esse in substantia supernaturalia; præsertim facta ab infideli: nam omnes fatentur, primum actum in substantia supernaturalem in nobis esse fidem, sub qua comprehendendo volitionem quæ hæc imperatur. Nec refert quòd hæc opera necessariò procedant à principio supernaturali, scilicet gratia præueniente; quia hoc principium potest esse solum secundum modum supernaturale iuxta dicta n. 128.

131

DISPUTATIO V.

De differentia & excellentia actuum supernaturalium, respectu naturalium?



UM inter omnes, qui admittunt actus supernaturales in substantia, conflet, hos necessariò essentialiter distinguere à naturalibus, & esse his perfectiores; magna tamen difficultas est, vnde hi actus hoc primò & per se habeant, an scilicet ab obiecto; an à principio suo effectiuo? Quæ difficultas hinc nobis explicanda est, ut possimus naturam illorum actuum, & quæ ratione circa suum obiectum versentur, agnoscere.

D V B I V M I.

Utrum actus perfectior habeat semper perfectius obiectum, saltem formale?

Quidam id generatim affirmant. Primò, quia actio accipit speciem ab obiecto formaliter ergo etiam perfectionem. Secundò, quia ideo actus virtutis theologice sunt alijs perfectiores, quia habent perfectius obiectum. Tertiò, quia ideo scientia est perfectior opinione, quia habet perfectius medium: atqui medium est obiectum formale respectu assensus conclusionis: ergo perfectius obiectum causat actum perfectiorem. Huius sententiæ videtur Caiet. 2. 2. qu. 27. a. 7. ubi probat dilectionem amici esse meliorem & perfectiorem dilectione inimici, quia illa habet perfectius obiectum. sed ipse ibi agit de perfectione morali, & in ratione meriti, nos autem hic agimus de perfectione physica.

Caiet. 2.

Dicta autem sententia visa mihi est semper valde difficilis: nam inde sequeretur Primò, duos habentes inæquales in perfectione poten-

Coninck de act. supernat.

tias, v. c. lippum & acutum habentē visum, circa idē obiectum præsertim æqualiter propositum elicere æquē perfectam visionem. Secundò, me nō posse idē obiectum amare modò perfectius, modò imperfectius, nisi mutetur ratio eius formalis, siue nisi id ob rationē formale aliquo modo diuersam amem. Quæ tamen aperte absurda sunt: nā, sic pro solis mea libertate possum obiectum eodē modo mihi propositum modò amare, modò non amare: ita possum id modò perfectius, modò imperfectius amare. Illa autem sequi, probatur: quia si perfectio actus sit sumenda à sola perfectione obiecti, quoties erit omnino idem obiectum, erit eadem actus perfectio: quòd si non sit sumenda ab eo solo, sed simul etiam à perfectione potentie, aut maiore ipsius conatu in actum; poterunt hæc tantum in perfectione crescere, ut circa imperfectius obiectum perfectiorem actum eliciant.

Dices, hinc tantum sequi, me circa idem obiectum posse elicere actionem perfectiorem aut imperfectiorem accidentaliter: illam autem sententiam esse intelligendam de perfectione substantiali ipsius actus, quæ sumitur ex sola diuersitate ipsius obiecti formalis, à quo illa essentialiter pendet.

Sed contrā facit, quòd ex dicta sententia sequeretur Primò, mathematicas cognitiones inter omnes humanas esse imperfectissimas, cum earum obiecta sint numeri & proportionēs, quæ sunt res nullius ferè entitatis, atque adeò imperfectissimæ. Item cognitionem quam naturaliter habemus de rebus spiritualibus, esse inter omnes nostras cognitiones perfectissimā, quia eius obiectum perfectissimum est. Cum tamen contrā accidat: nam illæ cognitiones in-

4
Circa obiecta perfectiora eliciamus sæpè cognitionem minus perfectam.

H ter

ter omnes non intuitivas, quas hic naturaliter habere possumus, evidentissimæ ac certissimæ sunt; contra hæc maxime obscuræ ac in multis incertæ; cum in cognitione rerum spiritualium ferè palando & conijciendo procedamus, & sæpè de ijs disputemus sicut cæci de coloribus.

5 Nec refert quodd secundum Aristotelem præstet etiam obscuram habere cognitionem de rebus spiritualibus, quam claram de rebus alijs. Quia inde solum sequitur, illam cognitionem ob præstantiam sui obiecti esse nobiliorem, siue magis dignam homine, non autem eam esse perfectiorem, nam perfectio essentialis cognitionis non consistit in eo, quodd sit nobilis, aut homini valde experenda (quæ sæpè in solo aliquo respectu extrinseco, aut in ente morali consistunt) sed in intrinseca ipsius entitate, & realibus proprietatibus ei intrinsecis, quales sunt evidentia & certitudo cognitionis, quæ eam maxime essentialiter perficiunt. Similiter in sacerdote potestas absolendi & consecrandi, & in rege potestas regia sunt secundum entitatem imperfectissimæ, cum sint tantum entia moralia, & tamen sunt digniores multis rebus physicis in sua entitate sine comparatione perfectioribus.

6 Confirmatur, quia clara cognitio malitiæ & distinctionis peccatorum est perfectior & etiam nobilior multis cognitionibus rerum physicarum; cum tamen illa cognitio habeat obiectum in entitate longè imperfectius & vilius: ergo non solum perfectior, sed etiam nobilior scientia potest versari circa obiectum imperfectius & vilius.

Occam. Occam igitur quod lib. 2. qu. 13. ait dictam opinionem hac sola ratione esse veram; quodd perfectissimus actus, qui potest haberi circa obiectum perfectius, sit semper perfectior actu perfectissimo, qui potest haberi circa obiectum imperfectius.

7 Sed si hæc intelligantur de actibus elicitis ab eadem potentia (ut videtur etiam Occam intelligere) non est generatim vera, ut patet ex exemplis datis. nam actus perfectissimus, quem hic elicimus circa res mathematicas, est longè perfectior quam actus perfectissimus, quem elicere naturaliter possumus circa res spirituales. Item cognitio, qua anima separata naturaliter intuitivè cognoscit suam essentiam eam comprehendendo, non est imperfectior ea cognitione, qua naturaliter cognoscit perfectissimum angelum, quem præsentem intuetur. Imò cum prior cognitio versetur circa obiectum magis proportionatum potentia, videtur esse perfectior. sicut etiam inter nos perfectior est visio, qua video lignum mihi clarè propositum, quam qua video solem; qui tamen est obiectum perfectius ligno.

8 CONCLUSIO I. Actus primariò maxime immediate & per se habet suam perfectionem à potentia, à qua producitur, & hac mediante ab obiecto. Probatur, quia cum perfectio actus vel identificetur cum ipsius esse, vel hoc immediate consequatur, ab eo actus præcipuè & immediate accipit suam perfectionem, à quo accipit suum esse: sed esse suum immediate accipit à

potentia effectiva, & ab obiecto solum quatenus hoc excitat, aut etiam determinat potentiam ad ipsius actus productionem: ergo à potentia accipit præcipuè & immediate suam perfectionem.

CONCLUSIO II. Cur una cognitio aut volitio sit alià perfectior, primò & maxime per se est causa maior perfectio ipsius potentia, aut maior ipsius conatus in actum: qua ratione rem viliorem quandoque intensiore & perfectiore amore amamus, quam rem meliorem; & angelus supremi ordinis rem minùs perfectam perfectiore intellectione cognoscit, quam infimus angelus rem longè perfectiorem. Quæ non solum intelligenda sunt de perfectione accidentali, sed etiam de perfectione essentiali. Sequitur ex prima conclusione. nam cum actus totam suam essentiam ac perfectionem habeat immediate & præcipuè à causa efficiente, ille qui producit à potentia siue vi activa essentialiter perfectiore, etiam erit essentialiter perfectior: præsertim si illa influat quantum potest, nec aliunde sit aliquod impedimentum. Confirmatur, quia sicut ideo propriè aliqua potentia in ratione potentia siue virtutis activæ est alià perfectior, quia potest præ ea perfectiorem effectum producere; ita illa est essentialiter in ratione potentia perfectior, quæ potest effectum essentialiter perfectiorem producere; quia aliàs non esset perfectior in ratione potentia, sed solum in ratione entis.

Vbi Nota, aliquid alio posse esse perfectius in ratione potentia siue virtutis agendi, quodd eo est imperfectius in sua entitate. Nam vis visiva humana in sua entitate, siue in ratione entis est perfectior virtute visiva aquila: nam illa ex parte est spiritualis, scilicet anima humana, aut potentia ei inhaerens. Aquila tamen melius videt quam nos, atque ita eius visus in ratione virtutis agendi est perfectior nostro. Item quædam gemma lucida sunt in entitate sua perfectiores flamma ignis, & tamen in ratione virtutis illuminandi sunt imperfectiores. Hic igitur assero potentiam essentialiter perfectiorem in ratione potentia, si agat quantum potest, nec aliunde impediatur, circa idem obiectum æqualiter sibi propositum producturam effectum essentialiter perfectiorem, quam produceret potentia in ratione potentia essentialiter imperfectior: quia illam dicta ratione esse hæc essentialiter perfectiorem, nihil est aliud, quam præ hac posse talem effectum producere. Cum igitur intellectus supremi angeli in ratione virtutis intelligendi sit essentialiter perfectior intellectu animæ separata, circa idem obiectum producet intellectionem essentialiter perfectiorem. Unde ulterius sequitur, quodd talis potentia possit etiam circa obiectum minùs perfectum, producere perfectiorem actum: v. c. dictus angelus perfectius intelligit animam rationalem, quam hæc illum.

Secundariò verd illius causa est maior proportio ipsius obiecti in ratione cognoscibilis, aut appetibilis, aut etiam detestabilis respectu talis potentia. Quæ proportio quandoque provenit ex parte obiecti, quodd ex se est magis ac facilius

Nobilitas scientia valde differt ab eius perfectione.

Occam.

Potentia elicit actum perfectiorem circa obiecta sibi magis proportionata, etiam imperfectiora.

Actus ab eodem accipit perfectionem & esse.

9

Res in entitate perfectior potest esse imperfectior potentia.

Potentia essentialiter perfectior producit actum essentialiter perfectiorem.

10

facilius cognoscibile; sic obiectum magnum & sufficienter illuminatum est magis visibile, quam parum & parum illuminatum. quandoque ex diuersa propositione obiecti, sic res remota est minus visibilis quam propinqua. Quod etiam spectat diuersitas medij, per quod res aliqua cognoscitur, quæ non cognoscitur in se immediate, sed in alio: vt cum Cæsar videtur in sua imagine, aut cum conclusio cognoscitur ex præmissis. in quo casu illud medium habet se etiam per modum obiecti formalis, quatenus est ratio mouens ad assensum siue cognitionem obiecti: & etiam per modum proponentis, quia proponit obiectum potentia: vt cognoscibile: unde quo hoc mediū ipsum obiectum perfectius repræsentat, & potentia: cognoscitur clarius obijcit, eo perfectior cognitio sequitur.

11 Tertiò, illa proportio aliquando pronenit ex conditione ipsius potentia: Experimentum enim multas res à nobis perfectius cognosci, quæ in se tam secundum entitatem, quam in ratione cognoscibilis, sunt longe imperfectiores alijs, quas imperfectissime cognoscimus. Sic multa alia obiecta videmus perfectius quam solem, & corporalia melius intelligimus, quam spiritualia; & quidam capiunt facilius & perfectius mathematica, quàm metaphysica, alij vero contrarij; idque ex sola diuersitate ingeniorum.

Hinc patet Primò, obiecti perfectionem sapientissime esse causam cur ipsum minus perfecte intelligamus. Quod etiam in angelis accidit: quoties ipsum obiectum est ipsis multò perfectius: tunc enim cum illud nequeant comprehendere, cognoscunt illud quadam cognitione non omnino ex omni parte euidenti, cum ei quædam ignorantia, & quasi tenebræ quædam admixtæ sint, quatenus illorum intellectus non satis capit ea quæ ipsum excedunt. atque ita illa cognitio est minus perfecta, quam si illa quæ se ipsos comprehendunt, quæ ex omni parte clara est & perfecta. Secus fit in cognitione earum rerum quæ ipsis sunt imperfectiores: quo enim hæ sunt perfectiores, eo sunt eorum ingenio magis proportionatæ, & sicut magis sunt cognoscibiles, ita eas perfectiore cognitione cognoscunt, si cetera paria sint. loquor autem semper de cognitione naturali.

12 Patet Secundò, dictam proportionem non esse per se & directè causam maioris perfectionis ipsius actus, sed solum indirectè, & quidem sæpe per accidens, quatenus est occasio aut conditio requisita vt potentia perfectius in actum influat. quod maxime patet, quando hæc proportio est maior & actus perfectior præcisè ratione maioris propinquitatis localis ipsius obiecti, aut quia hoc alia ratione perfectius potentia obijcit; aut etiam quia est in se imperfectius, vt accidit in exemplis allatis. quibus casibus tota immediata, & per se causa cur actus sit perfectior, debet peti ex perfectiore influxu ipsius potentia: cum obiectum perfectius ex se potius natum sit causare actum imperfectiorem.

13 Ad primum argumentum contrarium allatum num. 1. nego antecedens generatim esse verum de omni specie actionis, vt ostendam

Cominck de act. supernat.

dub. 2. Nego etiam consequentiam: quia circa obiectum perfectius potest versari actio specie imperfectior ob diuersitatem potentialium eos actus elicientium, aut improprietatem obiecti perfectioris cum ipsa potentia. sic spiritualia obscurè, dubiè, & per alienos conceptus cognoscimus, atque ita cognitione essentialiter & secundum speciem imperfectiore, quam sit ea qua cognoscimus multa corporalia per proprios conceptus & omnino euidenter.

Ad secundum, nego assumptum: si quando enim hæc actiones in sua entitate alijs sunt perfectiores, hoc prouenit præcipuè ex principio actiuo, vt patet ex dictis. Unde angelus actu perfectiore naturaliter amat virtutes, quam nos naturaliter amemus Deum.

Ad tertium, Respondeo solum probare secundam partem secundæ conclusionis.

D V B I V M II.

Verum omnes actus intellectus aut voluntatis specie distincti necessario habeant obiectum formale specie distinctum?

14 Aliqui id generatim affirmant; quia actus specificantur ab obiecto formali: ergo actus specie distincti habent obiecta formalia specie distincta. Hanc sententiam amplectuntur ij, qui ex eo, quod actus caritatis naturalis & supernaturalis differant specie, inferunt necessariò etiam differre obiecto formali: quos referam dub. 3. Item qui ex eo, quod caritas in via & in patria habeat idem obiectum formale, inferunt vtriusque actum esse eiusdem speciei.

CONCLUSIO. Actus intellectus & voluntatis variant speciem non solum ratione diuersi obiecti formalis, sed etiam ratione diuersi principij effectiui, aut ratione diuersi modi, quo idem principium effectuum tendit in idem obiectum. Ita Hurtado in lib. de Anima disput. 5. sect. 5. §. 32. & ij qui fatentur actum naturalem & supernaturalem differre specie, & tamen posse habere idem obiectum formale. quos citabo dub. 3. Huius etiam sententiæ videtur Lorca 2.2. d. 12. ad 4. vbi ait specificationem non pendere à solo obiecto, sed etiam à potentia.

Prior pars huius conclusionis sequitur ex dub. 1. vbi ostendi potentiam effectiuam essentialiter perfectiorem habere etiam effectum essentialiter perfectiorem, præsertim quando influit in effectum, quantum potest; unde sequitur, potentiam in essentiali specie altera perfectiorem, effectum specie perfectiorem producere. Quia vnā potentiam in ratione potentia: esse alia perfectiorem secundum essentialem speciem, nihil est aliud quam illam habere vim producendi effectum essentiali specie perfectiorem. Quod non solum debet intelligi quando ipsa versatur circa obiectum specie distinctum, sed etiam quando vtraque potentia habet idem obiectum formale: nam in vtroque casu vnā potentia est essentialiter altera perfectior; & consequenter perfectius agit, ac effectum essentialiter perfectiorem producit.

Confirmatur, quia ponamus summum angelum

H 2

gelum

14

15

Actus diuersi speciei possunt habere idem obiectum formale, & ex quo diuersitas specifica actus contingat. Hurtado. Lorca.

16